

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discurienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo-octavo mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LI.

M. CAROLO GEILLE DE SAINT LEGER, Doctore Medico, Præside.

An homini maturo senescere, & ultimùm mori, tam naturale, tam ineluctabile sit; quàm adolevisse, & maturuisse?

I.



OMO natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Job. 14. 1. Fames, sitis; caloris frigorisque vices; morborum invisa cohors, incommoda pauciora sunt, quibus humana cruciatur infirmitas. Mentem exagitant affectus inordinati, versant in modum tantò sæviorem, quò mens corpore superior. Laboribus jactatum assiduis, hominem excipit lenta canities, instantis à tergo mortis prænuncia. Genus Iapeti diceres prosperos ibi portus con-

tigisse; mors ubi proxima; malis finem datura est. Verùm audax omnia perpeti ruit per vetitum & nefas. Gravis annorum pondere senex incusat barbariem immitis *Atropos*. Indocilis mori, paciscitur quodcumque volueris aliud. *Debilem facito manu, debilem pede, coxâ: tuber adstrue gibberum, lubricos quate dentes. Vita dum superest, benè est.* Non defuerunt, grandævis adeò pronum est insanire, qui circulatorum ludificati fraudibus, vanarum artium, auro cariorem, redimebant opem, quâ lethum à cervicibus propulsarent ἀθάνατοι. Sparsa hinc incantamenta, vulgatæ artes Medææ, penes quas & lucis & umbræ fabulabantur imperium. An Agyrtis solum, an primævis sapientiæ cultoribus absurda hæc placuerint, nostrum non est definire. Asclepiadarum è gente nonnulli, quibusdam in plantis longævitatem antiquitùs fortè reposuerunt. Sub primis apud nos Pyrotechniæ primordiis, ipsam immortalitatem adeptam jactabat artificum vaniloquentia. Quas dum captat vulgus fallacias, Immortalis Harveïus oculo subjicit circulum sanguinis. Sed proh dolor! De invento statim atque renunciatur orbi medico, non inferioris notæ viri collaborant, strophis ut fidem verbosis faciant. Quippe somniarunt, quòd si beneficio circulationis, ægrotanti vel effeto affunderent homini, vegeti sanguinem animalis; redintegraretur decumbenti sanitas, seniori juventus florida. Quid pluribus immorer? Auræ vitalis appetitus impotens, quibusvis illudat *quorum stultitia quæstus impudentiæ est.* Sapiet qui; probè gnarus non solâ sanguinis intemperie, sed & majori solidorum vitio mortem succrescere; vitam affirmaverit (si tamen annis ingravescere datum est) describi circulo, quo peracto, moriendum. Sapiet, qui tales in corpore causas mirabitur, unde certis legibus incedant adolescentia, ætasque virilis; quarum decrementum, senectam; quies porro mortem adsciscat.

Mecæn. apud Senec. Epist. 101.

Phædr. l. 1. Fab. 14.

I I.

SUBSTANTIÆ duplicis consortio factum hominem vivere nemo negaverit, quamdiu mens & corpus modo qualicumque agunt in invicem, ab invicem patiuntur. Babylonios frustra tentâris numeros, scire si quæsieris vitale quodnam vinculum substantiis intersit adeò disparibus. Nunquam fallax experientia, unum hoc docuit, singularem affectum animæ conditioni determinatæ corporis individuum ire comitem. Mentis ergo mutationes, imò vitæ mortisque causas, oportet uno quæramus in corpore. Jam verò (*a*) *corpus humanum conflatur ex fluidis & firmis, docet Anatome.* (*b*) *Microscopia* iterum, *injectiones, vulnera minima, medicamenta vesicantia, atrophia, exsiccatio, docent solida nostra comparata cum humoribus, valde pauca haberi.* Scilicet in fluidis germen est solidorum, quæ suâ in origine certè liquida sunt. Quod autem futurum est exinde discrimen; in contactum, in quietem, cohæsionem, figuram refundendum, clamat αὐτοψία. Opus quidem Anthropogeniæ, primis ab initiis exploratu difficillimum est: imò fortè nunquam erit inconcussum quânam arte fiant prima embryonis delineamenta: veruntamen ab illo penè ipso temporis articulo, quo vitæ insufflatur halitus, fœtum ad usque perfectum; constanti patuit experimentorum fide, partes homuncionis quascumque firmas è fluidis singulatim emergere. Illarum igitur primigenia rudimenta sunt, ultimæ solidæ fluidorum moleculæ; sin minùs innatantes humoribus (*c*) particulæ terrestres, instar atomorum, simplicissimæ; corpus unde compingi primùm, in quas ultimò resolvi, calcinatione docemur, aut putredine. Binas ergo fingatur atomos juxta se quiescere; quæ interim si cohæreant interposito glutine; nudo vel invicem contactu quandoque facientur; simplicissima surgit exinde fibra, qualem ratio potiùs, quàm

(*a*) Boerhaa. Inst. Med. n. 39.
(*b*) Idem ibid. n. 440.

(*c*) Schreib. apud D. Hall. Instit. Comm. t. 3. p. 637.

ſenſus attingit. Simplicium (*d*) parallelo fibrarum ex ordine, ſimplex iterum naſcitur membrana, quæ, ſi revolvatur, cylindrum exit in minimum, è quo partes demum organicæ fabrefiunt. Quâ nimirum ſapientiâ, motûs in gratiam & flexilitatis, infinitæ numero corpus ſolidum diſtingunt machinulæ, quas inter decurrit humor irrequieto gradu profluens; eâdem ſanè coaleſcit pars omnis organica capillamentorum faſciculis, involucro ſingulo, nécnon intermedio liquore diſcretorum. Inde certa partis cujuſlibet flexilitas, prona mobilitas; ſpontanea quin imò ductilitas. Recentia namque corpuſculi ſolida ſingula, totidem tubuli ſunt in quos impelluntur humores. Tenella porro filamentorum ſtamina vi fluidorum diſtrahenti, in promptu eſt quàm facilè debeant obſequi. Humores interim, ubi primùm coercentur, frictum ad latera vaſis inter movendum oportet patiantur: repetitis comminuantur ictibus: craſim longè diverſam induant. Quid plura? Jugi tum circumductione, tum acceſſione, miſcelâque adventantis materno de corpore ſanguinis, purpureum in laticem, in liquores tandem hominis inquilinos omnes convertantur neceſſum eſt. Nul ; autem ibit inficias, humores abſolutum poſteaquam attigerunt gradum elaborationis, à benignâ tum demum indole deficere; ideóque blandus alter affundi poſtulat, qui contemperet priorem vergentem alioquin in infenſiſſimum alkali. Sed & ſolidorum damna nihilò ſeciùs ſarciri planum eſt. Niſu quippe fluidi, ſuperficiem vaſorum internam diſtractum iri, ſenſim ſine ſenſu abradendas tenues particulas, manet indubitatum. Corpus itaque vix dum omnium compos organorum, citò deſtrueretur ipſa vi vitæ; particulæ nî ſuccederent abraſarum vicariæ. Animalis ergo vita cancellis hiſ-ce concluditur, liberè moveri, deperdere, refici. Horum tandem unumquodque aliter & aliter obtinet, pro diversâ vitæ periodo.

(*d*) De Goater. apud D. Haller. Ibid.

III.

CORPORA *noſtra, quò propiora primæ ſuæ origini, eò plus excreſcere*, cogit firmarum diſtractilitas obſequioſa partium; cogit exſuperantia fluidarum, facili negotio convertibilium in ſuccos omni dote alibiles. Quid aliud præſtabit etenim vaſorum repagulis coercitus humor, niſi ut ab interioribus undique depellat extrorſum, fines vaſorum ultimos? In id autem collineant vires ita præſentis efficaciæ, ſtatim ut penſitanti pro rato ſit, ullâ certiori momentorum energiâ ſanè vix obtinendum hujuſmodi finem. Cor ſcilicet ubi primùm incipit ſalire, quantùm ſanguinis thalami capiunt, impetu magno trudit in vas conicum ſimul & elaſticum, liquore quin imò jam ante turgidum. Præterquamquod autem unda prior ponè conſequenti moræ ſit; convergens fabrica canalis, impedimento longè majori eſt progreſſioni, projecti cæteroquin ſummâ velocitate ſanguinis. Hic ergo moræ quoniam impatiens, acceptam à corde vim integram ab ingreſſu ſtatim exeret vaſis in latera, quæ cedant illico, majorem in circulum ſe duci patiantur æquum eſt; mox autem fluido renitantur incumbenti, coerceántque cavo iterum anguſtiori. Nullus intereà patet ad cor adſcenſus. Demptâ parte pauciſſimâ quæ ſub ipſâ depreſſione regreditur, ſygmoideæ refluxum negant valvulæ. Negat arteria ſe coarctans à maximâ in minorem, niſu ſuccedente, diametrum. Humor itaque vaſorum fines præterlabetur ultimos, vim ſuam impendens in longitudinem, quæ ducetur in majus, effectu tantò quidem obſequentiori, primâ quòd ætate cor micat multò frequentiùs; contractio eſt iterum, cæteris paribus, omnium maxima. Cohæſionem huc adde ſolidorum perfectè minimam, erit utique pauciori cum renixu inſita vis impellens efficaciſſima; proindéque major quæ ſit unquam futura, vaſorum elongationis neceſſitas. Quòd autem, ineunte vitâ, laxiori vin-

Boerhaa. inſt. Med. 466.

culo cohæreant solida ; millenis etsi comprobari possit argumentis, punctum omne feret adducta firmarum è fluidis emersio. Rigiditatis etenim causas inter principes, jure quidem assignantur particulæ terrestres, quæ posteaquam factæ densiores, majori superficie se tangunt immediatè, se se validiùs invicem attrahunt, quàm ut dimoveantur arietantis humoris ictibus. Primis autem vitæ temporibus rara admodùm terra est : intervallis atomi differunt luxuriantibus uberiori glutine, quod se duci facilè patitur in omnem loci differentiam. Verùm non satis est invenisse causas, unde corpus producatur in longius. Non invalesceret ; quin potiùs periclitaretur exinde salus mortalium, singularis nisi confluerct humor aptus reficere natum à motu detrimentum. Fibris namque tenerioribus, ubi contigerit eâ vi distendi, quæ major sit elementorum attractione mutuâ, distabunt illorum exinde termini ; solvetur tractus solidorum, inani relictâ, vel debiliori saltem cavitate, quâ sensim sine sensu latiori factâ, vis vitæ citò satisceret. Inest quidem humoribus unde restituatur, diducendo quod avulsum est. Verùm haud multò post, ab horis nimirum aliquot exinde marcescet ros, unde scaturit illa regenerandi facultas. Fluida nempe, nutritiis dum sic exhauriuntur partibus, persistente motu tandem putresiunt. Quod omnem extra controversiam factum est, periculo jejunantium in quibus urina sudorque fætent ab abstinentiâ paulò diuturniori, ipsáque innocens alioquin anima olet gravissimè. Fons alter itaque pleniori cornu debuit ferre suppetias. Sed alimentorum in assumptione sufficiens subsidium præsto est. In infante coctionis organa nunquam feriantur: in fœtu quidem actuosa minùs ; sed restauratione minùs iterum indiget fœtus, ut potè quiescens utero, paucioribus itaque damnis obnoxius. Intereà tamen à matre traducitur in prolem, ingens copia succorum, abundè qui redimant atoniam ventriculi. Maternum in corpus hi licet apti jam concrescere, formicâ nihilò majorem ne fœtum offendant, atteruntur uteri colatoriis, usque dum (a) *pastæ* transeant in speciem *amylaceæ*, quæ primis à conceptu temporibus, calore motúque facta semper fluidior, homuncionis molliusculos operâ facili fingitur in artus. Illi statim atque consistentiâ, situ, numero, formam hominis referunt, (b) subit liquor alter, paucos unde post menses, fœtus in molem assurgat adeò portentosam. Scilicet innatat humori lymphatico concrescibili verè nutritio, qui tramite quidem obscuro, per poros Chorii bibulos ex utero trahitur ; fistulis inde sorbetur inhalantibus, quæ concavam intra superficiem hiantes Amnii, profundunt ibidem, quo fœtus victitat, blandi saporis subsalsum laticem, sero sanguinis quàm proximè simillimum. Fœtus ergo non mirum quòd solis novem mensibus eâ proficiat ratione quali, si pergeret annis increscere singulis, intra breve tempus terrarum orbem experiretur angustum. Verùm infans anno primo longè minùs proficit ; minùs augetur iterum annis succedentibus, adeò ut à vigesimo, ad quintum vigesimum, paucis admodùm unciis increscat. Causa est in promptu. Parciori cibo dum alitur, subeunt excretiones, inexperta priùs dispendia, quæ partem alimentorum demunt potissimam. Aër, onus insuetum, toto reprimit pondere vim extrapellentem vasa, quæ minùs in longum, magis autem in capax ampliari oportet. Ergo latera minorum ad invicem apprimunt ; angustant cavitatem, delent. Unde corpori robur additur quidem, at simul accedit incremento renixus eò validior, quòd in diem cedunt momento, fluida. Crescit tamen infans, & quia lacte, tum à lacte cibis copiosè vescitur euchymis, ultro vertendis in gelatinam ; & quia vix primùm à pastu temperat, dormitat usque dum excitet altera mensæ necessitas. At pueritiam si semel attingit, mille modis exercet musculos. Longâ in arundine equitare amans, saltitat ;

(a) Boerhaa. instit. Med. n. 675.

(b) Id. ibid. n. 682.

corpus huc & illuc agit; gaudet, irafcitur; adeóque liquores inæqualiter omnino circumduci, perfpicuum eft: majora interim vafa nimis juftò repleri; lateralia comprimi rurfum & occallefcere, quæque iterum adolefcente puero, jam jam futura funt longè pauciora. Vel enim mufarum facris indulgere juffus eft, duris vel laboribus admovere manum; quæ licet in annos tractu longo different, impræfentiarum eò coincidunt, ut corpus fluidis, pro fuo cuíque jure, defraudent partibus. Advolat exinde pubertas, genus trahens omne cupidinum. Menfas alter dapibus onerat. Alter Iaccho venas ut femper inflatus hefterno, fpirituofis ardet inebriari liquoribus. Maxima pars, eheu! Veneri litat maturiùs. Totidem de caufis terræ major obtinet ratio: arefcunt humores, eò ufque difpereunt, ut non ampliùs folidis prævaleant, nec ultra refiftentiam à corde protrudantur. Vis effræna libidinum ponit celeriùs quidem incremento metam. Juvenis attamen imberbis moderatè corpus exercens, in cibo temperans, vitam perfectè cælibem agat abftemius; beatâ gaudeat animi tranquillitate, &c; terminus tandem futurus eft, quo fcilicet, expreffo per compreffiones arteriarum aqueo principio, gluten magnâ parte ficcabitur; adeóque quod hæret offibus, eò ufque folidabitur, ut extremis offium Epiphyfes adnatæ tandem in offa tranfierint. Quo quidem in ftatu punctum eft, ubi jam cor haud fufficit extendendis ultra folidis.

IV.

PERFECTUS homo, ad omnes alacer vitæ functiones, annis tametfi videatur conftare fibi pluribus; ftatu nunquam in eodem verè permanet, aliqua perpetuò pergunt elidi vafa: neque tamen omnis perit citò conftantia. Reciproca fiftit quidem actionum æqualitas cor inter & vim fuperandam: chylopæa verò perinde ac fanguifica non remittunt organa. Licet enim humores haud mediocrem fui jacturam experti fint, ventriculi tamen & inteftinorum cavitatibus, affunditur eorum copia quæ valeat alimentorum diluere moleculas, folutis conciliare fluorem partibus. Bilis etiam quam nemo recufabit pro caufa principe quæ mifcibilia reddat oleofa cum aquofis, ætate virili potiffimùm eâ pollet amaritie quâ fuo rectiùs munere fungatur. Liquores denique digeftioni dum vacant quantitate adhuc & qualitate laudabili; famulantia eidem operi folida, tono gaudent quo major alter toto vitæ decurfu non fupponi queat. Namque motus in corpore nullus exercetur, nifi ab immediatâ mufculofæ partis actione. Jam verò mufculi vis æftimatur ab actione fingulari fibrarum, multiplicatâ per earumdem numerum. Quò major itaque numerus, quò major fingularum craffities, tenacitas; fummæ momentum erit fub illo refpectu tantò validius. Porrò continuam ob extenuationem aquofi glutinis, tenacitas ætate virili tanta eft quanta effe poteft, falvâ functionum libertate; fiquidem ad gradum paululò majorem de flexibilitate detrahitur, fibræ degenerant in rigiditatem quâ pofitâ turpis fenectus incumbit. Sed iterum in viro mufculi torofi maximam præ fe ferunt fibrarum craffitiem: quin illæ numerofiores quoque funt. Namque Mercurius arte Ruyfchianâ penetrans in intimam mufculi fubftantiam, certè docet medias inter carnes ubique diffeminari exiles arteriolas, quæ compreffionibus affiduis fimul ac orbantur cavitate fua, chordam referunt elafticam actionis mufculofæ capacem. Virilis quapropter ætatis omni ftadio, ventriculi inteftinorumque fibris mufcularibus vis ea eft quæ chylum parare valeat uberrimum. Quoquidem in opere maxima quoque eft, ob incrementum actionis mufculofæ, vis acceffOria fepti tranfverfi, mufculorum abdominalium, arteriarum circumpofitarum. Chylus ergo fincerus, fuis in ætate virili non deficit promptuariis. Nec certè remiffior erit hujus in fanguinem elaboratio. Quippe caufa quæ tonum fo-

lidorum intendit in viro, diffunditur in omni corpore ne exceptâ quidem molliori compage pulmonum, in quibus inſuper vis comprimens ab aeris pondere necnon elatere nata, potentiùs nunquam in actum erumpit quam ætate virili. Namque thoracis area tunc ætatis capaciſſima, locum adhuc pro majori pulmonum expanſione recipit ampliorem à receſſu diaphragmatis, inter inſpirandum quam maximè complanati versùs inferiora. Omni igitur officinâ ſuâ ſanguis actiones in viro patitur efficaciſſimas, tam à pulmonibus quàm ab arteriarum ſuperadjectis viribus, & ab ipſâ preſſione validâ muſculorum. Copiam itaque nihilò pauciorem humoris nutritii vis vitæ parabit. Jam verò fiſtularum myriadibus occluſis, de mole parcior exhalat quantitas. Amplior ergo ſuccedet corporis habitus; ſubſequetur obeſitas, quæ non aliud eſt niſi cellulis interfuſus adeps, inibi ſcilicet adactus, quòd ad crepaturam tumens arteria, cellularum ſolis in receſſibus diverticulum par eſt invenire. Non mirum ergo quòd actionibus vitæ validiſſimis, homo dum ſe deſtruit, perſtare tamen appareat. Namque
Bernoul. apud D. Hall. commen. inſt. Med. t. 3. p. 677. ſi quando ratum eſt, humano de corpore $\frac{49}{50}$ avolare decennio; inaudita ſui diſpendia feret inoffenſus homo, qui ſinu ſuo fovet, unde ſupplementum largiatur. Talo verùm incedit fluxili, jugiter ad occaſum properans vitæ conſtantia. Aquæ reſiduum omne ſubripiat neceſſum eſt, generatus calor ab oſcillationibus arteriæ violentiſſimis. Tritus videlicet in igne colligendo quantùm poſſit, omnibus notum eſt. Cùm autem ætate virili, ſolidorum vires adſcenderint extremum ad apicem, & intereà difficiliùs multò ſeſe penetrari ſinant: tritus inde futurus eſt omnium maximus; proindéque toto furens æſtus in corpore, qui gradu leni caloris avolantem in auras, aquam omnem exhauriat. Quantum verò detrahitur aquæ, rigiditatis tantumdem artubus accedit. Scilicet aquæ decrementum, terræ pondus auget præter modum. Rigiditas autem eſt indomita terræ. Hujus intereà particulæ ſtatim atque denſantur, magnâ parte jam extenuatum gluten comprimunt attractione reciprocâ, donec pars aquoſa glutinis exſudet, remaneat oleoſa tenacior. Olei porro ſuperſtitis ope, elementis elementa, fibræ fibris eò uſque compinguntur, ut in maſſam obrigeant inflexibilem, exſuccam, ægrè admodùm appoſitione ſucci nutritii refocillandam; ut argumento ſunt, in ſenibus operoſioris aleæ fracturarum vulnerumve conſolidationes. Alibilis autem inducunt ſucci penuriam, vires confractæ ſolidorum, ipſáque temperies humorum ſiccior. Vaſa namque nedum valeant motui jam ineptos humores ad gradum conquaſſare, qualem functionum poſtulat integritas; ut contra conatu propellant admodùm imbelli. Hæmatoſis itaque peccabit omni de capite; tam inſtrumentorum culpâ ſibi præfectorum, quam antecedente vitio χυλοποιησέως. In eo quippe ſiccitatis gradu rebus conſtitutis, ori deficit ſaliva, ſtomacho mucus, gaſtricus humor ventriculo, ſuus pancreati latex. Hujus laticis, exſors facta bilis, menſtrui ſuâ cedit facultate. Inteſtinorum, ut ante, millibus è villis non pluit copioſus imber, paſtam qui perfundat cibariam, humanis incipiat aſſimilare liquoribus. Partes itaque crudas, ſiccas, terreſtres, lactea bibunt, quales exinde ſanguis vix educi queat; tantòque minùs iterum exurgere poſſit, quòd accedit ἀπεψίη, pulmonum arterioſíque ſimul ſyſtematis impotentia. Non ſanguis igitur floridus, ſpumeſcens, coccineo colore rubentes denſatus in globulos, vaſis excipietur; ſed humor
D. Hall. prim. lin. phyſiolog. n. 256. excrementitius, iners, adeò terreſtris, *ut ubique in celluloſas corporis partes, veram terram pro vapore deponat*, uſque dum aridior ſemper factus, eam conceperit acredinem, quæ ſolida mollia rigiditatis eò deducat, ut cordis victi vires obruant. Acrimoniæ verùm advocandæ quot cauſæ collatis viribus conferunt! Humorum ubique ſtagnatio ſuppetit. Halituoſorum occluſis undique vaſculorum

cavitatibus, emunctoria supersunt pauciora certè, pro justâ depuratione sanguinis. Verùm ante alias causa parens acredinis, aquæ dissipatio est. *Aqua* videlicet ne oleosis quidem exulans, *est humor princeps, longéque abundantissimus omnium liquorum qui in sano corpore humano deprehenduntur..... in hâc igitur aquâ reliqua elementa omnium humorum hominis soluta fluunt mista inter se, & fluentia continentur, conservanturque.* Ergo posteaquam evanuit aqua, non ampliùs humoris qui superest elementa miscentur inter se, nec soluta fluunt. Una vasculoso systemate terra volvitur acris, ponderosáque tantò magis, quòd ipsi jungitur, principiis ante confusum aliis, oleum. Hujus intereà soluti compedibus, sales impinguntur massæ solidorum: illa ferruminant in duritiem ferme lapideam. Scilicet in ossa vertuntur arteriarum involucra: tendones abeunt in cartilaginem: musculi pro carnosâ mole, nil nisi dealbicantem, aridum tendonem exhibent. Quibus in angustiis, primùm aboletur aeris usura: cordi dextro sanguis congeritur: consepultis viribus cor ipsum occidit aliquandiu palpitans, donec longa quies annorum abrumpit seriem.

Boerhaa. Chem. tom. 1, p. 386.

V.

NEQUE protrahi potuit certa moriendi necessitas, *etsi terminum mutet varia cordis ad solida proportio, vis coctrix alimentorum, indoles sanguinis, calor externus aeris*, &c. Si tamen in re lubricâ, locus est artis industriæ, spem finit inchoare longam, sapiens vitæ consilium. Si nimirum sui compos juvenis, parcat in usus detorquere cupidinum, quotquot Adoranda Dei Munificentia concessit homini bona, vitæ necessarios in usus; tardiùs attinget limites incremento positos. Maturitas exinde fundamento structa firmiori, stabit iterum patentiori curriculo, tempus senectuti datum superans. Illa porro nec iners, importuna, gravans, sese qualem effert apud quos ætati solet anteire: sed viridis adhucdum & cruda, mortem intuebitur longo proximam intervallo. Ita sanè, cæteris paribus, quibus à puero fuit in vivendo norma, vivaciori videntur sanitate perfrui. Vulgaris historia est longævi Britannos inter hominis, qui Magno referente Boerhaavio, caseo delectatus plurimùm; ætatis anno centesimo, virginem thalamo receptam fœcunda prole fecit parentem. Leydæ vixit alter *qui seculum decimum septimum nasci viderat, & finiri, semper sanissimus. Interrogatus quibus artibus ad tantam ætatem pervenisset; solebat respondere, eâ methodo, quam nolis imitari, moderatione & sobrietate.* At valetudini parare præsidium quo tempore corpus exhaustum morti debetur proximæ, desipientis est. Falso venditant Antidotum nomine, qui Chemicis in præparationibus, aut in ipsâ transfusione sanguinis, senectuti quærunt Medicinam languidæ. Chemici valeant explorare penitissimam corporis compagem: lecta parent remedia, quæ φαρμακευτικὴν locupletant: non autem experiantur quod nefas assequi. Vanæ species & ægri somnia sunt, Universale Menstruum omnes ad unam obstructiones referans: Elixirium Paracelsi, quo vitam ex arbitrio quam vellet longam, addere despondebat: Helmontii liquor è cedro paratus, quo viveret in secula cedro senex annosior: Magnes Artephii, quo juvenili de corpore vitales rapti spiritus, lagenæ committerentur donec intermorituri præ grandævitate, hominis vitam sustinerent ad annum millesimum. Omnia de genere hoc fabulosa, digna sunt quæ prosequantur artis χρυσοποιητικῆς studiosi. Illi si verba dederint imperitæ plebi, Medicorum nemini fucum facient. *Hoc utique certum est vim sani corporis posse transire in corpus effetum. Nam virgines quæ cum aniculis dormiunt, certum est consumi; vetulas verò meliùs inde habere.* Sed arti non ultra datur assurgere. Namque fingamus penes esse Chemicos, meliorem ad crasim humores corrigere; hoc opus, hic labor est, restituere deletas vasorum cavitates. Quod si moliantur

(a) D. Hall. prim. lin. Physiol. n. 259.

Boerhaa. Inst. Comment. tom. 6, n. 1066.

Ibid. n. 1065. pag. 353.

imprudentes, in vanum laborabunt. Artem namque DEUS nullam dedit mortalibus, quæ diducat parietes vaſorum κενεαγγείᾳ mutatorum in ligamenta : nullam DEUS dedit artem quæ, lateribus vaſorum inviolatis, ſaxum ſolvat connatum mediis illorum cavitatibus. Nec etiam temerè confidant Chemici, ſe ſuâ ſaltem induſtriâ præcavere potuiſſe, quod quando natum eſt tollere nequeunt. Falluntur & fallunt ſi confugiunt aliò quàm ad mediocritatem in vivendi genere ſuſceptam à teneris. Nulla quippe prudentia eſt quæ motum vitalem infringat, quo tempore ſumma vis hujus nocitura eſt æqualitati fluidorum cum ſolidis : nulla prorſus induſtria quæ partes rigidas ad primævam revocet mollitiem & flexilitatem. Non felicior ergo foret transfuſionis eventus, ſi quis λογοδαίδαλος eam uſurparet eundem in ſcopum. Illam enim inſtituant multò ante quàm corpus exoleſcat; quid lucrantur aliud, niſi quòd faciunt credulis diſcrimen vitæ certiſſimum? Vaſa quidem replent, non nu-
Boerhaa. Inſt. Med. n. 436. triunt : quandoquidem *ad conſtantiam vitæ ſimilis continuandam, opus eſt ut tantum & tale .... reſtituatur, quantum & quale .... perditum eſt.* Sanguis autem brutorum animantium, immane quantùm diſcrepat ab humano ſanguine! Quin eadem alimenta diverſis ab hominibus adſumpta, mutantur in humores omnino diverſos, qui ſuâ ſe produnt ἰδιοσυνκρασίᾳ quam adeò ſolicitè dijudicant
Id. chem. tom. I. p. 36. canes odoriſequi *herum per compita atque in errantium hominum tumultuario concurſu certò detegentes.* Longævitatis itaque ſpes ulla potior nedum arrideat à transfuſione ſanguinis, quin imò periculoſiſſimæ plenum opus eſt aleæ. Cùm autem inter affundendum ſanguinem advenam millibus inſuper obnoxia jaceat incommodis, quibus arte nulla datur opitulari; ſapienter quidem edicto ſolemni cautum eſt, ne quid in poſterum detrimenti caperet civitas à capitali tentamine. Ergo ſenibus annoſis ex ipſius naturæ placito, una calcanda ſupereſt via lethi.

Ergo homini maturo, ſeneſcere & ultimùm mori, tam naturale, tam ineluctabile eſt, quàm adoleviſſe & maturuiſſe.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Gabriel Dupré.	*M. Paſcaſius Borie.*	*M. Joannes Beſſe, Dotariæ Hiſpaniarum Reginæ, dum viveret, Medicus Primarius.*
M. Antonius Petit, in Matronarum gratiam Anatomes & Artis Obſtetriciæ Profeſſor.	*M. Florentius-Carolus Bellot, Scholarum, Profeſſor deſignatus.*	*M. Antonius de Juſſieu, Regi à Conſiliis & Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiarumque Societatum Angliæ & Pruſſiæ Socius, Botanices in Horto Regio Pariſienſi Profeſſor ac Demonſtrator.*
M. Stephanus Pourfour du Petit.	*M. Ludovicus Pathiot.*	*M. Joannes-Baptiſta-Thomas Martinenq, ex-Decanus & Academiæ Cenſor.*

Proponebat Pariſiis JACOBUS-FRANCISCUS LATIER, Rothomagenſis, ſaluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.